

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

14 April 2021

Translate **ALL FOUR** passages. You have three hours to complete the exam. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Queen Urraca writes to Archbishop Díego Gelmírez to acknowledge his help and to request further assistance against the rebels

Qualiter equidem uestre uirtutis gratia, uestra prudentia Galicie regnum defenderitis et qualiter P. Gudestidem et Rabinadum Nunidem et A. Petridem et alios proditores a regno meo et a regno filii mei regis Alphonsi, quod sibi usurpabant, expuleritis, et qualiter pacem et tranquilitatem, expulsis proditoribus Galicie, restitueritis, quot et quanta mala pro mei regni tuitione sustinueritis michi claruit.

Unde omnipotenti Deo et sancto Iacobo et uobis summas grates refero et referendo pro tam reuerendo tutore gaudeo. De cetero autem clementiam uestram suppliciter exoro et prudentiam uestram summopere efflagito, ut castellum sancti Pelagii et cetera, que sunt Pelagii Godestide et Rabinati Nunide et aliorum nefariorum refugium, obsessum eatis. Quod si, Deo annuente et beato Iacobo intercedente, hostes ab illis castellis expellere et ea debellando capere ualueritis, prout melius prudentie uestre uisum fuerit, uel ea uobis retineatis uel, qui ad opus mei et filii mei paruuli regis Alphonsi fideliter custodian, ea quibusdam primatum meorum detis. Valete et quantocius potueritis, supradicta ad effectum perducite.

2. Why the Prince is on Top

Est ergo tiranni et principis haec differentia sola uel maxima, quod hic legi obtemperat et eius arbitrio populum regit cuius se credit ministrum, et in rei publicae muneribus exercendis et oneribus subeundis legis beneficio sibi primum uendicat locum, in eoque praefertur ceteris, quod, cum singuli teneantur ad singula, principi onera imminent uniuersa. Vnde merito in eum omnium subditorum potestas confertur, ut in utilitate singulorum et omnium exquirenda et facienda sibi ipse sufficiat, et humanae rei publicae status optime disponatur, dum sunt alter alterius membra. In quo quidem optimam uiuendi ducem naturam sequimur, quae microcosmi sui, id est mundi minoris, hominis scilicet, sensus uniuersos in capite collocauit, et ei sic uniuersa membra subiecit, ut omnia recte moueantur, dum sani capitum sequuntur arbitrium. Tot ergo et tantis priuilegiis apex principalis extollitur et splendescit, quot et quanta sibi ipse necessaria credidit. Recte quidem, quia populo nichil utilius est quam ut principis necessitas expleatur; quippe cum nec uoluntas eius iustitiae inueniatur aduersa.

3. King Cnut sends the young Godwine to Denmark

Dum enim prefatus rex Dacie diadema Anglie usurpasset, cerneretque Godwinum incredibili astucia nec minori audacia preditum sensim ad sublimia concendere, timere cepit homo advena indigene adolescentis viribus simul armatam et astu animositatem. Cuius licet sibi pernecessariam in multis expertam habuisse industriam, quiddam tamen de spiritu Saulis mente concipiens eretorem suum propugnatoremque strenuissimum dolo perdere cogitavit, quem palam opprimere nisi per invidiosam maliciam facile non fuit. Excogitato igitur consilio, Godwinum quasi pro arduis regni utriusque negociis mittit in Daciam, tale quid secum mente pertractans: “Non sit super eum manus mea, sed sit super eum manus Dacorum.” Cum igitur iam medium equor navi opulentissimo instructa apparatu searet, cepit suspicio iuvenis animum vehemens titillare. Ferebat namque signatas regis anulo litteras, singulis scilicet illius terre optimatibus singulas, quarum omnium prorsus nesciebat sentencias. Unius igitur sigillorum cautus effractor, ex brevi inclusu se in brevi agnoscit capitali dandum supplicio, si portoris, cum ventum fuerit ad portum, plenius fungatur officio.

4. The playwright Terence confronts a young heckler

NUNC TERENTIUS EXIT FORAS AUDIENS HAEC ET AIT:

Quis fuit, hercle, pudens, rogo, qui mihi tela lacescens
Turbida contorsit? quis talia verba sonavit?
Hic quibus externis scelerosus venit ab oris,
Qui mihi tam durum iecit ridendo cachinnum?
Quam graviter iaculo mea viscera laesit acuto!
Hunc ubi repperiam, contemplor, et hunc ubi quaeram.
Si mihi cum tantis nunc se offerat obvius iris,
Debita iudicio persolvam dona librato.

ECCE PERSONA DELUSORIS PRAESENTATUR ET HOC AUDIENS INQUIT:

Quem rogitas, ego sum: quid vis persolvere? cedo:
Huc praesens adero, non dona probare recuso.

TERENTIUS:

Tune, sceleste, meas conrodis dente Camenas?
Tu quis es? unde venis, temerarie latro? quid istis
Vocibus et dictis procerum me, a! perdite, caedis?
Tene, superbe, meas decuit corrumpere Musas?

PERSONA DELUSORIS:

Si rogitas, quis sum, respondeo: te melior sum:
Tu vetus atque senex, ego tyro valens adulescens;
Tu sterilis truncus, ego fertilis arbor, opimus.
Si taceas, vetule, lucrum tibi quaeris enorme.